HENRICI BLVMENBACHII
A. M. SOC. THEVTON

ANTIQVITATES EPIPHANIORVM

CVM PRAEVIA

DE FONTIBVS ANTIQVITATVM CHRISTIANARVM

DISSERTATIONE

AD

VIRVM CLARISSIMVM

CAROLVM FRIDERICVM HVNDERTMARKIVM

H. E. FIL. CIZENSEM

PHIL. ET MEDICINAE BACCALAVREVM

SVMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

CONSEQVVTVM

LIPSIAE
IN OFFICINA BREITKOPFIANA
CIϽ IϽ CCXXXVII

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO PRAELIMINARIS
DE
FONTIBVS ANTIQVITATVM
CHRISTIANARVM

I.

Ex quo ad ſcribendum appuli animum, in id quam maxime incubui, ne iliada ſcriberem poſt Homerum, neu mea culpa crambe bis cocta occideret lectorem. Inde de anteceſſoribus, qui in eodem cum ſcripturo verſati ſint argumento, ſollicitum eſſe oportere ſcriptorem, numquam non iudicaui. Id aliis laudi duxi, & imitandum conſtitui. Praeſenti pagina recenſere mens eſt, quicumque in epiphaniorum, quam molior, & vniuerſa chriſticolarum *αρχαιολογιᾳ* fuerint occupati; vbi ad fontes maxime referre laborem meum conabor. Quod ne *ατακτως* fiat, claſſibus vniuerſos ita diſpeſcam, vt primum ſcriptores veteris aeui ac medii recenſeam, qui antiquitatum eccleſiaſticarum fontis titulo ſuperbire ſolent: recentiorum opera generaliſſima, & quae vel orientem ſolum vel occidentem reſpiciunt, vel actiones, vel tempora chriſtianorum ſacra tantum tetigerunt, nec non ſpecialiſſimos, de feſtis, ſubiecturus

II. Ex antiquiſſimis PHILO, iudaeus, vt a Byblio diſcerneretur, dictus, legatione pro ciuibus ad Caium Caligulam, & Claudium imp. R. celeberrimus, opus ſcripſit *περι βιȣ θεωρητικȣ η ἱκετων αρε-*

των (*ασκητων* legit contra vett. ſidem Sandius) ſuperſtes, ab *A. Turnebo*, *Sig. Gelenio* & *Dau. Hoeſchelio* cum operibus ceteris editum, a *Monteſalconio* in gallicam linguam translatum, diſſertatione & commentariis auctum. Chriſtianos inibi delineatos ritus oſtendunt *Euſebius Pamph.* hiſt. eccl. II. 17. p. 66-70. *ed. Cantabrig.* *Epiphanius* panar. XXIX. 5. *Hieronymus* de viris illuſtr. c. 8, & 11, *Sozomenus* I. 12. *Io. Caſſianus* de inſtitut. monaſt. II. 5. *Nicephorus Calliſt.* II. 16. *Suidas* voce Φίλων, *G. Pachymeres* ad pſeudoareopagit. epiſt. 1. *Anonymus graecus* ap. Lambec. comm. de bibl. vindobonenſi III. p. 69. *Th. Bruno* diatriba de therapeutis Philonis, *Gu. Beueregius* codice canonum eccleſiae prim. vindicato & illuſtr. lib. III. cap. II. §. 2. ſqq. p. 318. ſequentibus *Iſ. Voſſius* var. obſeruat. p. 46. ſq. *S. le Nain de Tillemont* aux mem. tom. II. p. II. p. 167. ſq. licet non deſint, qui diſſentiant, docti aeque viri; praecipuum ſuae ſententiae argumentum ab aetate, qua ſcriptus eſt liber, nondum chriſtiana, repetentes. Conf. *Photius CP.* μυϱιοβιβλω codice CIV. *Ioſephus Scaliger* ad Euſ. chron. a ſemetipſo confictum p. 14. *idem* trihaereſii c. 29. *nec non* de emend. temporum lib. VI. p. 539. *D. Blondel* de Sibyllis lib. I. c. 7. *Henr. de Valois* ad Euſ. l. cit. *M. Hankius* de ſcript. rer. Rom. lib. II. p. 86. ſq. *W. Caues* life of the euang. Marcus, §. 3. *P. Allix* iudicio eccleſiae iudaicae contra vnitarios, c. 6. *Ant. Pagi* crit. Baron. ad ann. 62. ſect. 3. *Henr. Scharbau* iudaiſmo detecto p. 98. ſqq. lettres du préſid. I. Bouhier, au R. P. Dom Bernard de Montfaucon, a Paris, 1712, 12.

III. Ad CLEMENTEM *Romanum* varia referre ſcripta placuit iis, quorum eſt, e fabulis capere lucrum. CANONES qui a rebus quas tradunt vocantur APOSTOLICI, tertio forte chriſtianorum ſeculo exarati, de perſonis eccleſiaſticis, & ritibus aeui priſtini, praecipiunt. Nec quarti aut ſequioris demum ſeculi antiquitates iſtic contineri, contra *Ioannem Daillé* euictum dedit, qui vniuerſos illos canones doctis ornauit commentariis, W. BEVEREGIVS inter Anglos epiſcopales praecipuus, cuius *codex canonum eccleſiae primitiuae vindicatus ac illuſtratus*, emendatior recuſus exſtat Amſtelodami apud Georgium Gallet MDCXCVII. 4 mai. Eiusdem viri apoſtolici nomine ſuperbiunt CONSTITVTIONVM APOSTOLICARVM *libri octo*, quos graecos *Franciſcus Turrianus* ſeorſim, emendatos Gr. Lat. *I. B. Cotteliers*, bis etiam poſt hunc *Ioannes le Clerc*,

in

in biblioth. patrum apoſtolicor. ediderunt. Ritus chriſtianorum quarti & quod excurrit ſeculi conſtitutionibus illis enarrantur

IV. CYRILLVS, *Hieroſolymorum* inde ab a. D. 349, *Hieronymo* in chron. h. a. teſte, epiſcopus, *catecheſibus* XIIX *φωτιζομενων* ſiue *ad competentes*, quae σχεδιασθεισαι & ex tempore dictae anno D. 352 feruntur, dogmata & ritus chriſtianorum praecipuos, & *quinque myſtagogicis ad recens baptizatos*, geminorum ſacramentorum rationem, exponit. Editiones, graecam Guil. Morellii, vbi *φωτιζομενων* priores tres, quinta, VII, VIII, & duodecima cum ſequentibus quinque deſiderantur, Par. 1564, 8, & eiusdem anni Colonienſem Gr. Latinam, vel Viennenſem 1560, ſi quidem haec vtraque excuſa reperitur, excepit operum εκδωσις Gr. Lat. *Ioannis Préuot*, 4, Par. 1608, recuſa f. Par. 1622, & cum Syneſio Petauii Par. 1631, f. anno 1640 ibidem denuo excuſo. Praeclare de noſtro Cyrillo meritus *Th. Milles*, S. T. Bacc. ex aede Chriſti, haec eius, & plura opera *ανεκδοτα* emendauit, illuſtrauit, quae Oxoniae e Sheldoniano 1703, fol. prodierunt. Vereor, vt aeque eruditis fecerit ſatis *Ant. Aug. Touttée*, quo calendis Ianuariis 1718 defuncto, obſtetricante Prudentio Maran lucem publicam viderunt *S. Cyrilli Hieroſolymitani opera quae exſtant omnia, & eius nomine circumferuntur*, ad MSStos codices, nec non ad ſuperiores editiones caſtigata, diſſertationibus & notis illuſtrata, cum noua interpretatione & indicibus, opera & ſtudio Ant. Auguſtini Tuttaei, ord. benedictini e congreg. S. Mauri. fol. Lutet. 1720. Conferenda omnino Cyrillo non fruſtra vſuris viri ſummi, D. SALDEYLINGII, incomparabilis archaeologiae chriſtianae promi condi, vltra laudes noſtras poſiti, *diſputatio de S. Cyrillo Hieroſolymitano, a corruptelis pontificiis, quas recentiſſimus eius elucidator A. A. Touttaeus, aliique, ei affinxerunt, liberato*, 4, Lipſiae 1726 edita, recuſa in EIVSDEM *obſeruationibus miſcellaneis, in quibus res varii argumenti ex theologia, hiſtoria & antiquitate ſacra, enodate tractantur*, Lipſiae 1736, 4

V. Libri *de hierarchia eccleſiaſtica*, qui DIONYSIVM AREOPAGITAM auctorem mentiuntur, obloquente peculiari opera *Dallaeo*, antiquitatibus quarti & ſequentium ſeculorum illuſtrandis, aeque ac ſcholia, inſeruiunt. Porro e *Latinis* TERTVLLIANVS meus eſſet commemorandus, cuius de pallio, de corona militis, ad Scapulam,

lam, de habitu mulierum, de cultu feminarum, de idololatria, de ieiunio, de baptiſmo, de poenitentia, de velandis virginibus, de pudicitia, apologeticus, & ad nationes, libri, ad antiquitates chriſtianas illuſtrandas conferunt quamplurimum; eidemque THASCIVS CAECILIVS CYPRIANVS, cuius epiſtolae & alia ſcripta antiquitatibus ſuae aetatis abundant, foret ſuccenturiandus: niſi in apologetarum occidentis numero eosdem occurſuros eſſe, meminiſſem

VI. Scilicet qui dogmata, ritus, & mores chriſtianorum a paganorum calumniis vindicabant, APOLOGETAE vulgo dicuntur, quorum ſcripta tantum non omnem antiquariis eccleſiaſticis ſuppeditant materiam. Quos antequam recenſeam, citabo *compendium antiquitatum eccleſiaſticarum e ſcriptoribus apologeticis eorundemque commentatoribus compoſitum* auſpiciis b. Buddei, autore incerto, edente Cl. Walchio. Plagis XVIII paginis 283 abſoluitur compendium. Accedunt, *C. S. Schurzfleiſchii* tract. de controuerſiis & quaeſtionibus hiſt. & ant. eccl. ſelectioribus, paginis 330, & eiusdem appendix de euangeliſtis apoſtolis & viris apoſtolicis, de ritibus ſec. I, de rit. ſec. II, ſec. III. & ſec. IV, & de quaeſtione: num ſecundi ſeculi interuallum conſtitui poſſit pro oraculis Sibyllinis? capitibus VI, paginis 67. Excuſum volumen Lipſiae ſumtu Gleditſchii 1733, 8

VII. Primus inter *Graecos*, IVSTINVS, a profeſſione *philoſophus*, a confeſſione *martyr*, cognominatus, ſcripſiſſe fertur λογον παραινετικον ſiue ελεγχον προς ἕλληνας, itemque λογον προς ἕλληνας, nec non *apologiam breuiorem* ὑπερ χριϛιανων, quae, tributa Iuſtino, ſcripta, cum alio περι Θεȣ μοναρχιας contra πολυθεϊαν, interpretatione latina & variorum notis, edidit *Henricus Hutchin*, Oxoniae 1703, 8. *Altera* eiusdem *apologia*, itidem cum variorum notis & verſione, recuſa, auctore *I. Erneſto Grabe*, Oxoniae 1700. *Vtramque apologiam*, quarum prior tempore in editis & ſcriptis manu codicibus poſtremum occupat locum, cum interpretatione & commentariis *Styani Thirlby*, cum quo nullus patrum editor facile comparatur, luci publicae expoſuerunt Londinenſes, 1722, fol. Dialogum cum Tryphone Iudaeo, (quem cum R. Tarphon compoſui CHRONICI CATHOLICI *tomo II. folio 777.*) dictis apologiis iunxit laudatus Thirlby, vt ita opera a ſe illuſtrata ſiſteret, quaecunque ad Iuſtinum iure referri queunt. *Cl. Kochius* ſane aeque operam luſit, dialogo

logo huic γνησιότητα ablaturus, quam *Bellarminus*, *Caueus*, *Pinius*, qui reliquorum patrocinium ſuſceperunt. Ceterum omnia illa in *Frid. Sylburgii* operum Iuſtini editione, a *Federico Morellio* 1615 & 1636, a *Chr. Kortholto* 1686, repetita, ab hoc etiam commentariis nouiſſime aucta, reperiri, monendi ſunt oppido pauci

VIII. THEOPHILI, *Antiochiae* poſt Erotem (v. *Hosmanni* praef. ſuae ed.) epiſcopi, primum gentilis, *de fide chriſtiana ad Autolycum gentilem libri tres*, a *Conrado Geſnero* e MSS eruti 1546, Tiguri, fol. lucem viderunt, recuſi inter *Heroldi* orthodoxographa Baſileae 1555, f. cum operibus Iuſtini *Sylburgianis*, primo item auctarii patrum tomo cura *Frontonis le Duc*, & cum int. ac notis *Ioannis Fell*, Oxoniae 1684, 12. Noſtro hoc ſeculo de iisdem Theophili libris optime meritus eſt *Io. Chriſtophorus Wolfius*, Hamburgi & Germaniae ſidus fulgidiſſimum, qui cum commentariis, nullis ſecundis, & verſione, inprimi curauit Hamburgi 1723, 8. Satis etiam ciues ſibi ſuos, Theutonica interpretatione, deuinxit *Guſtauus Chriſtophorus Hosmannus*, quam obſeruationibus & praefatione doctiſſima ibidem 1729 exornauit

IX. MELITO Aſianus, *Sardium* epiſcopus, *librum apologeticum* ad Marcum Aurelium imp. dedit; qui cum plerisque illius aetatis paria fata expertus eſt. Neque alii, qui interciderunt, nos morabuntur

X. Aetatem tulit TATIANI, Syri, pagani, ſophiſtae, atque demum, Iuſtino praeceptore, chriſtiani, oratio πρὸς ἕλληνας, quam, aeque ac verſionem lat. laudato iam *Conrado Geſnero* (aut, teſte pagina 276, *Ioanni Friſio* Tigurino) debemus, qui, cum Maximi ſententiis, Antonii meliſſa, & Theophilo πρὸς αὐτόλυκον, & Graecam, & Latinam, Tiguri 1546, geminis voluminibus, f. prodire iuſſit. Repetierunt editionem *Heroldus* orthodoxographis, *Ducaeus* auctario, *Sylburgius*, *Morellus*, & *Kortholtus*, Iuſtini voluminibus, ſuperius allegatis. Luculentis praeditus commentariis, hinc inde ſelectis, curante *Wilhelmo Worth* A. M. Oxoniae e theatro Sheld. 1700, 8 mai. in dias auras prodiit Tatianus

XI. ATHENAGORAS, Athenienſis, πρεσβειαν περι Χριστιανων a. D. 168 (iudice H. Dodwello diſſ. Cyprianicae vndecimae § 37 & 38) αυτοκρατορσι Μαρκῳ Αυρηλιῳ Αντονινῳ και Λουκιῳ Αυρηλιῳ

Κομμοδῳ, αρμενιακοις, σαρματικοις, το δε μεγιστον, Φιλοσοφοις conſecrauit. Hoc, aeque ac alterum, *περι αναστασεως των νεκρων*, opuſculum Athenagorae, luci primum reſtituit *Simon Grynaeus* in orthodoxographis, recuſum in micropresbytico ed. Baſ. ap. H. Petr. 1550, f. p. 471 & ſequentibus. Laudatis huius & ceterorum ſeculi II apologetarum exemplis *Sylburgii*, *Morellii*, *Ducaei*, *Kortholdi*, addantur Sheldonianum *Ioannis Felli* Gr. Lat. 1682, 12; Lipſienſe *Adami Rechenbergii* 1684, vel ſi mauis, 1686, 8, in operibus c. n. var. atque opera c. n. variorum & commentariis *Eduardi Dechair*, Oxon e theatro, 1706, 8

XII. HERMIAM, *philoſophum*, quod veri eſt ſimile, vt hoc inſererem loco, aegre a me impetraui. Legitur hodieque eius *διασυρμος των εξω Φιλοσοφων*, excuſus e codice illuſtriſſ. *Fuggerii*, cum interpretatione *Raphaelis Scileri* Baſileae 1553, 8, recuſus, inter ſcripta veterum orthodoxorum curante *Geſnero* Tiguri 1559 ſq; & cum commentariis *Hieronymi VVolfii* & ſcriptis hiſtoriae philoſophicae minoribus Baſileae 1580, 8, quam Caue, Fabricius, ceteri, editionem ignorarunt; item cum Iuſtini exemplaribus; nec non in Ducaeano dicto auctario; denique inſcriptus: Tatiani or. ad Gr. Herminae irriſio philoſophor. gentilium. ex vetuſtis exemplaribus recenſuit, adnotationibusque integris Conradi Geſneri, Frontonis Ducaei, Chriſtiani Kortholti, Thomae Galei, ſelectisque Henrici Stephani, I. Meurſii, S. Bocharti, I. B. Cotelerii, vtriusque Voſſii, aliorum, ſuas qualescunque adiecit *VVilhelmus VVorth*, A. M. Oxoniae, e theatro Sheldoniano, An. Dom. MDCC. impenſis Ioannis Oweni, 8 mai. Confer de praeſenti Hermea *VVilh. Ern. Tenzelii* exercitation. ſelect. V. part. I. p. 227 ſq. & addenda p. 456. ed. Lipſ. 1691, 4, & *VVilh. Cauei* hiſt. litt. ſcriptorum eccl. ad ann. 177, part. I. maxime part. II. p. 48 ſq. ed. 1720; dum integra *de eius aetate, ſcribendi genere ac dogmatibus* diſſertatio mea, *Nicolao le Nourry* futura *ſupplementum*, pluribus legenda tradatur

XIII. Graecis, quos enarramus, apologetis rei chriſtianae, accenſeri geſtit *T. Flauius* CLEMENS, *Alexandrinus* audientium magiſter, ad quorum ſcholam a. D. 190, philoſophus nuper gentilis, acceſſit, vir, eruditione, meritis, & Origene diſcipulo, celebratiſſimus. Perditis *ὑποτυπωσεων* libris octo, hymnus in Chriſtum, oratio de ſalute

diui-

Digitized by Google

ďiuitum, *ϛρωματων* libri octo, paedagogi libri tres, & *λογος προτρεπτικος προς ἑλληνας*, quorum hi prae ceteris huc pertinent, adhuc ſarti tectique, durarunt. Prodierunt opera Clementis primum e biblioth. Medicaea per *Petrum Victorium* Florentiae 1550, tum cura *Fr. Sylburgii* Gr. Lat. ex officina Commelin. 1592, aucta notis, *Dan. Heinſii* Lugd. Bat. 1616, & *Fr. Ducaei* Par. 1629, qualia ibidem 1641 & *Vitembergae* 1688 ſunt recuſa. Integrum, ornatumque ſe Clemens debet *Ioanni Pottero*, qui, caſtigato textu graeco ac verſionibus, excepta protreptici, quam fecit nouam, variorum & ſuos paginis ſingulis ſubiecit commentarios, Herueti lucubrationibus in calcem dilatis. Comparuit catecheta ſplendidisſimus Oxoniæ e theatro Sheld. 1715, 2 voll. f.

XIV. ORIGENI, *χαλκεντερȣ αξιωμα* indepto, IV mille librorum auctori, inter cetera, quorum *Huetius*, *Cauius*, *Caſ. Oudin* comm. t. I. col. 241-258. ac Ruaeus, amplum ſatis pertexunt catalogum, *octo contra Celſum philoſophum epicuraeum libros* debemus. Latinam, dubium: an Ruffini illius Toranii? interpretationem exhibet Pariſienſis tomus IV, 1519 recuſus, nonies deinceps repetitus. Graecos protraxit libros contra Celſum *Dauides Hoeſchelius*, Aug. Vindel. 1605, 4, verſione ac notis decoratos. Secutus eum *Guilielmus Spencer*, itidem commentator, Cantabr. 1658, 4, & 1677, 4. Neſcio, num & noſtro recuſum aeuo rite meminerim? an cum libro *περι ευχης* inique committam. Sane, quum P. Dan. Huetius editionem biblicorum ſaltim Origenis operum, malo conſilio, ſuſcepiſſet, hanc nuper ſpartam melius ornarunt Benedictini monachi Mauriani, quorum nomine *Dom Carolus de la Rue*, ord. S. Bened. e congr. S. Mauri, edidit *Ωριγενȣς τα ἑυρισκομενα παντα*. i. e. Origenis opera omnia, quae Graece vel Latine tantum exſtant, & eius nomine circumferuntur; Pariſ. 1736, fol. mai.

XV. EVSEBIVS, *Caeſareae* in Palaeſtina epiſcopus, *προπαρασκευην ευαγγελικης αποδειξεως* libris XV. delineauit. Hos, omiſſo nouiſſimo de philoſophorum diſſenſu in rebus naturalibus de mundi partibus, latina lingua reddidit, Nicolao V papæ conſecratos, *Georgius Trapezuntius*, quos Venetiis 1470 edidit Nicolaus Ienſon; addeſis *alteram* anni MCCCCC editionem *Venetam*, fol. nitidam, litterarum autem compendiis, more iſtius aetatis, laborantem. Graecos libros

Digitized by Google

bros XV edidit *R. Stephanus*, Par. 1544 fol. Ibidem annotationes & verſionem addidit *Franc. Vigerius*, vir graeciſſimus; quod exemplar, 1628 propoſitum, Lipſia, 1686, eſt imitata. Eiusdem *demonſtrationis*, ad Theodotum Laodiceae epiſcopum, *libros*, e viginti illis quos ſcripſerat, *decem*, eosque cum a capite tum in calce mutilos, e MS Pariſino, 1546, eruit laudatus *Stephanus*, bis cum praeparatione recuſos. E Pariſinis membranis ſane vetuſtisſimis ceteros deſcriptos eſſe codices rite iudicat *Bernardus a Montfaucon*, diarii italici p. 12 & 42; ſiquidem omnes, ab eadem voce exorſos, in eadem quoque deficere, libros eius MSS, conſtat. Eximi ex horum numero deſiderat codex, Gallico regio mirum quantum integrior, in ipſa adhuc ſeruatus Graecia, *Maurocordato Scarlati*, *Vuallachiae* principi doctisſimo, immortali, diuo, olim oblatus; vnde, ciuis noſter, beatae memoriae, *Fabricius* impetrata quae deſiderabamus duodecim foliis edidit, ac ſyllabo argumentorum pro veritate religionis chriſtianae praemiſit, Lipſ. Hamb. 1725, 4. Liber EVSEBII *contra Hieroclem* non ſolum in editionibus demonſtrationis Graeco-Latinis, ſed & cum Philoſtrati Apollonio per *Aldum* Venetiis 1502 fol. & 1535, 8, & cum int. in operibus Philoſtrati occurrit legendus, &, quae *F. Morellus* Lutetiae 1608, f. &, quae *Gottfridus Olearius*, ὁ πανυ, Lipſiae 1709, fol. ediderunt.

XVI. ATHANASIVS, catholicorum quos orthodoxos iunior dicit aetas parens, Alexandriae a. D. 326. epiſcopus, λογον κατα ἑλληνων ſiue κατα ἰδωλων reliquit. Quatuor operum eius exemplis occurrit; e quibus *Commelinianum* 1601 Petro Felkmanno, *Pariſienſe* 1627 Ioanni Piſcatori, *Lipſienſe* 1686 Andreae Arnoldo & W. E. Tenzelio, debemus; quibus *Montefalconius* aliquoties laudatus & *Ioannes Loppinus* ſe anno 1698 iunxerunt editores; Par. 3 voll. queis ſupplem. tom. II. ib. a Montefalconio 1706 ed. vbi etiam Athanaſiana occurrunt, addere licet.

XVII. GREGORIVS, *Nazianzi* in Cappadocia ortus, ep. CP, qui, poſtquam anno 381 ſe praeſulata abdicarat, a. 391 vita eſt functus, λογυς β' ϛυλιτευτικυς, *in Iulianum imperatorem*, nec eum ſuperſtitem, ſcripſit, editos cum ſcholiis Graecis &c. cura *Richardi Mountacutii*, Etonae 1610, 4. Opera, quibus *inuectiuae* illae cum ſcholiis comprehenduntur, prodierunt, primum Baſileae 1550, deinceps cum int. Lat. ac ſcholiis *Nicetae Serenii, Pſelli, Nonni, Eliae Cretenſis*, ac *Iacobi*

Iacobi Billii notis Lutetiae 1609, 2 tomis, porro additis denuo epiſtolis aliquot & notis *F. Morellii* ibid. 1630, qualia reddiderunt exempla Colonienſes, imo *Lipſienſes*, 1690, 2 voll.

XVIII. IOANNIS, CHRYSOSTOMI, a. D. 398, 26 Febr. facti CPoleos epiſcopi, λογος κατα Ιȣλιανον και προς ἑλληνας hoc loco mentione videtur dignus. In tanta viri ſummi ſcriptorum copia, num & hic, vt alii eius libri, noſtra vel patrum memoria ſeorſum ſit recuſus, N. L. Operum noſtri integrorum proſtant editiones quinque. Prima ſit *Sauiliana*, Etonae typis Io. Nortoni 1612, 8 voll. Sequitur *Pariſina* cum int. & notis *Front. Ducaei* apud Federicum Morellum 1609-14-16-24, quibus tomis *Commelinianos*, 1591-1603 Heidelbergae excuſos, addas oportet, vt omnia praeſto ſint noſtri opera. Tertia editio XII tomis conficitur, quorum ſex, nouum teſtamentum illuſtrantes, *Carolus Morellus* Pariſiis 1633 excudit; reliqui, in V. T. &c. ibidem 1636 apud *Car. Morellum* & *Sebaſtianum Cramoiſy* prodierunt. Quartam, aeque *Ducaeanam*, cuius columnae paginas Morellianas referunt, XII tomis, maiori cura *Francofurti* anno 1698 excuſam, debemus induſtriae *Balthaſaris VVuſtii*, viri in ſua arte ſummi, qui hiſtoricis eccleſiae Valeſianis, bibliis Ebraeis 1677, criticis Londinenſibus, Poli ſynopſi, famam ſibi comparauit perennem. Tandem aliquando, quod ſaepe optauimus, prodire cepit editio *Benedictinorum* e congr. Mauri, auſpiciis *Monteſalconii*, Pariſ. tom. I & II, 1718, III & IV, 1721. V, VI, & VII, annis ſequentibus, VIII & IX 1728

XIX. THEODORITI, *Cyreſtarum* Auguſtae Euphrateſiae in Syria a. 423, imo 420, epiſcopi, θεραπεια ἑλληνικων παθηματων, i. e. graecarum affectionum curatio, libris XII abſoluitur, a. 427 contra Iulianum imp. conſcripta; quam cum, verſione & notis inſignem, Heidelbergae 1592, fol. edidiſſet *F. Sylburgius*, operum tomo IV Lutetiae 1642 inſeruit *Iacobus Sirmond.* Emendationes, pagina 393 ſqq. tomi quinti, leguntur, quo editionem Theodoreti Sirmundinam auxit *Ioannes Garnier*, *S. Ieſu*

XX. Claudat graecorum apologetarum agmen CYRILLVS, qui licet anno 412 in *Alexandrinum* euaſerit epiſcopum, attamen, non, niſi a. 433, adeoque Theodorito ſerius, ſcripſit libros decem ὑπερ της των Χριϛιανων ευαγες θρησκειας, προς τα τȣ εναθεοις Ιȣλιανȣ. Praeter *operum Cyrilli* Gr. Lat. tomum extremum ſiue VII, quos *Ioannes*

Aubertus, Par. 1637 prodidit, ad calcem *operum Iuliani*, Lipſiae 1696 ab *Ezechiele Spanhemio* curatorum, hoc Cyrilli opus inuenitur

Iamque etiam video demum, quem ingreſſus fuerim campum, abyſſo me immergi ſentio, vnde reuocare gradum opus ſit atque labor. Noui, eſſe in his, qui antiquitates noſtras negligunt. Sed iacta eſt alea. Age igitur, B. L. breuiſſimis, quae de Latinis chriſtianorum apologetis, quae de ceteris huius generis reſtant antiquitatum fontibus, TV legendo, ego exhibendo, abſoluamus

XXI. ANTONIVS *Fuſſalenſis*, poeta ante Aur. Auguſtini aeuum clarus, cetera Muratorio & Fabricio aeque ac mihi ignotus, opus *aduerſus gentes* reliquit, quod, c. n. *L. A. Muratorii*, anecdotorum Latinorum Ambroſianorum tomo I prodiit Mediolani 1697, 4, & in *Fabricii* ſyllabo argumentorum laudato p. 175-206 eſt recuſum. Quid Tertullianus meus huc contulerit, e libri mei de SCto presbytero & ICto Tertullianis capite III agnoſces. Editores *B. Rhenanum*, *Gelenium*, *Pamelium*, *Rigaltium*, *Priorium*, *Iac. Gothofredum*, & *Sigeb. Hauercampum*, vel pueri norunt, qui nondum aere lauantur. Plura leges, vbi vitam Qu. Septimii Flor. Tert. *iuſto commentario* exhibuero

XXII. MINVCII FELICIS *Octauius*, male olim pro *octauo Arnobii Afri* habitus *libro*, curis *Fr. Balduini*, *Io. VVowerii*, *Geuerh. Elmenborſtii*, *N. Rigaltii*, *Iac. Oiſelii* plurima debet. Noſtro ſeculo prodiit c. n. var. per *Ioannem Dauies*, Cantabr. 1707, 8, & 1711, 8, & c. n. var. cura *Iac. Gronouii* L. B. 1709, 8

XXIII. ARNOBIVS, Siccae in Africa rhetor, cum exegeta cognomine non confundendus, *ſeptem aduerſus gentes ſcripſit libros*. *Elmenborſtianas* &c. editiones excepit emendata a *Cl. Salmaſio* c. n. integris *Theodori Canteri*, *Godeſchalci Stewechii*, *Geuerhardi Elmenhorſtii* & *Deſiderii Heraldi*, L. B. 1651, 4, cum qua comparanda *Phil. Priorii*, Par. 1666, f, quae & Cyprianum, & variorum notas, complectitur

XXIV. Immerentem ſicco pede transiiſſem THASCIVM CAECIL. CYPRIANVM, libris, *de idolorum vanitate*, *ad Demetrianum*, aliis, inter apologetas, pleriſque *ceteris ſuis operibus* inter antiquarios, locum ſibi vindicantem. Pleraque debet *D. Eraſmo*, *Iac. Pamelio*, *N. Rigaltio*, *Ph. Priorio*, *Io. Fello* maxime, & *St. Baluzio*.

Neque

Digitized by Google

Neque *H. Dodwelli* diſſ. Cyprianicae tredecim, Oxon. 1684, 4, primum editae, omittentur

XXV. COMMODIANI, ſeculo III clari, *inſtructiones octuaginta*, editae primum c. n. *Rigaltii* Tulli Leucorum 1650, 4, adiectae 1666 Cypriano *Priorii*, inſertae tomo 27 *bibliothecae patrum* Lugdunenſis 1677, nouiſſime c. n. Rigaltii, Dodwelli de aetate auctoris diſſertatione, & praef. *Henr. Leonhardi Schurzfleiſchii* Vitembergae 1705 prela fatigarunt. Eumdem poetaſtrum Minucio dicto illuſtratum iunxit *Dauiſius*

XXVI. Cicero chriſtianus audit L. CAECILIVS LACTANTIVS, cuius *inſtitutionum diuinarum aduerſus gentes libri ſeptem*, poſt elegantem & accuratam *Tornaeſiorum* editionem, *Mich. Thomaſii*, *Seruatii Gallaei*, *Thomae Spark*, Ox. 1684, 8, *Cantabrigenſis incerti* 1685, *Cellarii*, *Cl. VValchii*, & *Cl. Heumanni* limam ſunt experti. Reſtat, vt e LX & pluribus MSS & excuſis codicibus ſuum fauſtis auibus edat Lactantium *Cl. Bynemannus*

XXVII. IVLII FIRMICI MATERNI *de errore profanarum religionum* librum, a *Matthia Flacio Illyrico* 1562 erutum, *Ioannes a VVower* (cuius ed. *Oxonienſis* Minucium ſimul ſiſtit) & laudati *Oiſelius* ac *Gronouius* illuſtrarunt

XXVIII. D. AMBROSII Mediolanenſium antiſtitis *epiſtolae*, vndetrigeſima & XXX huc, praeter alia, pertinent quam maxime, altero editionis *Benedictinae* tomo reperiundae

XXIX. AVR. AVGVSTINI *de ciuitate DEI* libri XXII hic ſigillatim veniunt in cenſum. Miſſis, quos Viues acri ſale perfricuit, ſeculi XV editoribus, *Io. Lud. Viuis*, ac *Leon. Coquei* commentarios, & *Benedictinorum* textum, commendamus

XXX. PAVLVS OROSIVS *hiſtoriarum contra paganos ſeptem* libros ſcripſit, qui, maxime vltimus, huc pertinent. HORMISTA in MSS dicitur haec hiſtoria. Nugas ſapientum de lana caprina digladiantium videbimus, quas operoſe collectas programmate ſcholaſtico expoſuit C. A. Heumanus, edito Goettingae 1732, 1 plag. HORMEVTA vel HORMATHOS primum, mox HORMISTA codicis poſſeſſor, imo HOMINVM MISERIA, (quum & *Bongarſio* codex de hominum miſeria inſcriptus occurrerit), nec non ORCHESTRA, *G. I. Voſſio*, & haec etiam, poſt *St. Vin. Pighium*, *A.*

 Schotto,

Digitized by Google

Schotto, *Th. Reineſio*, *Fr. Iureto*, & *P. Colomeſio*, ſe probauit. OMNIS HISTORIA *C. Barthio*, iſtis oblocuto, perplacuit. ORBIS MOESTITIA, vel ORoſii Mundi hISToriA *Balthaſari Bonifacio* arriſit. A *motibus* humanis, ὁρμη, quibus deſtinatur hiſtoria, deriuat *I. B. Cottelier*. HORAMA MVNDI legi vult *Io. Schilterus*; oui HARMOST, ſiue coheleth & ſyntagma hiſtoriarum, ab *Io. Diemanno* ſubſtituitur. ARMIST ſiue miſeria & egeſtas legetur auctore *Io. Ge. Eckardo*. ORESTEN in ſcenam produxit *N. H. Gundlingius*. HISTORIA MISCELLA *Cl. Heumanno* venerat in mentem; quum vero, num eam hoc literarum compendio: HOR. MSLA. expreſſerint veteres? dubitaret, habuit pro cognomine Pauli Oroſii Hormiſtae Mundi. Haec illi. Equidem, cur non legam, vti ſcriptum in codicibus: OROSI HOR. MISTA ſiue ἱστορια ποικιλη, rationem vidi plane numquam. Vicies, fortean ſaepius, edita eſt haec varia Oroſii hiſtoria; imo tricies, ſi verſiones addas. Optime de Oroſio meruit *Franc. Fabricius* Marcoduranus. Diuorum *Maſtrichtii* & *Clerici* conatus effectu caruiſſe dolemus. Et *mihi* ante aliquot annos, hanc ſuſcipere ſpartam, inciderat; & nuper Clerici apparatus venum expoſitus mihi inſeruire potuiſſet, ſi eum ſub haſta redemiſſem, & mens non laeua fuiſſet

XXXI. AVR. PRVDENTII CLEMENTIS V. C. *aduerſus Symmachum* libri II cum integris ſaepius prodierunt operibus; quae ſi ſingula illuſtrare potuiſſet *Theodoricus Ruinart*, non eſſet, quod nonam poſt *VVeizii*, *Heinſii*, *Cellarii* curas, Prudentii editionem deſideraremus

XXXII. Colophonem inponat SALVIANVS, Maſſiliae presbyter, cuius *de prouidentia & gubernatione* DEI libri VII ab *Io. Alex. Braſſicano* Baſ. 1530, fol. editi, *St. Baluzii* curis Lutetiae 1669, 8 mai. denuo luci ſuae ſunt reſtituti. Eosdem *Bremenſes* 1686, 4, & cum *Vinc.* Lerinenſi *Veneti* 1698, 8, denuo prodiderunt

XXXIII. CORPORIS IVRIS, quod inſtitutis, cum quibus conferenda *Theophili* paraphraſis, digeſtis, codice, nouellis conſtitutionibus conſtat, ideo facio mentionem, quod & ipſum, & *commentatores*, quorum priores recenſuit opere peculiari *del Rio*, antiquitatibus eccleſiae praeclaram paſſim, rarius licet, adfundant lucem. Neminem fugit, quid *Godofredo*, quid *Sim. a Leeuwen*, quid *illuſtri Heineccio* ob nuperum nitidae editionis ornatum, debeamus.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. Longe plura praeſtat in hoc genere CODEX, THEODOSIANVS dictus, cuius quidem num exempla, an epitomen, hodie poſſideamus, non immerito ambiginus. Quam locuples commentarii *Godofredi* praeſtant rei eccl. armarium? quos ampliores reddere feliciter conatur *Cl. Ritterus*, ſublato ex illa ſtatione *Ioanne Friderico Hagero, τῳ εν ἁγιοις*

XXXV. Neque CORPVS IVRIS CANONICI ſilentio eſt transmittendum, veteris & medii aeui ritus tradens quamplurimos. *Petr. & Iac. de Pithou*, fratres, ne ſua vnquam vacillare nedum perire poſſet fama, hoc immortali opere effecerunt. Zegerum, Eſpenium, Boehmerum, Eccardum, I. Gabr. Wolfium, tonſores norunt & lippi.

XXXVI. Quid de conciliis Coleti, Harduini, Lupi, Baluzii, Labbei & Coſſartii, regiis, eorumque ſummis Ludouici Bail, Coriolani, Syluii, vel Hiſpanicis, Theutonicis, Anglicis, Gallicis, dicam? Ad Io. Andr. Schmidium & Fr. Salmonium lectores amandare praeſtat

XXXVII. Sed & IVSTELLI *bibliotheca iuris canonici*, & BEVEREGII *ſynodicon* eccleſiae graecae, & LEVNCLAVII *ius graeco-rom.* & *τȣ ανατολικȣ νομιμȣ βιβλια γ* ab ENIMVNDO BONEFIDIO digeſta, notis illuſtrata, & cum int. lat. typis *H. Stephani* 1573 excuſa, & *euchologium* IACOBI GOARI, & *αρχιερατικον* ISAACI HABERTI, Pariſ. 1643, f. & LEONIS ALLATII ſcripta, docte, at doloſe, vt ciues caperet ex-graecus, compoſita, in cenſum venirent, ſi vacaret, his immorari. Neque M. CRVSII Turcograecia, GE. FEHLAVIVS, CPHORVS ANGELVS, THOMAS SMITH, PAVLVS RICAVT, RICH. SIMON, HENR. HILARIVS, ALEX. HELLADIVS, IO. PETRVS KOHL, IOANNES FECHT, IO. MICH. HEINECCIVS, I. GE. PRITIVS, HERBERSTEINIVS, AD. OLEARIVS, VHSIVS, WOLFG. GVNDLING ad EVSTRATII IOANNIDIS ZALVSKI, (Zialowsk) rhuteni *delineationem eccl. orientalis graecae*, neque *libri eccleſiaſtici* cuiusuis generis, forent reticendi, niſi legi de iis poſſent *Leo Allatius* de libris eccleſiaſt. Graecorum, C. n. *Fabricii*, biblioth. graecae tomo V recuſus, *Guil. Caue* in calce tomi II hiſtoriae litt. *καταλογες των βιβλιων τȣ κυριȣ*

Νικολαϗ Cαϱϗ, Venetiis 1712 excuſus, & *Cl. Pfaffii fil.* de liturgicis, miſſalibus, agendis, & libris eccleſiaſticis, eccleſiae Orientalis & Occid. diſſertatio, Tubingae 1718, 4, edita, inſtitutionibus hiſt. eccl. 1721, 8, adfixa

XXXVIII. Suae tantum, *eccleſiae*, eiusque *occidentalis*, & aetatis, ritus reſpiciunt ALCVINVS, AMALARIVS, BEDA, BELETHVS, BERNO ſiue Bernouldus, GV. DVRANTES, HONORIVS, IVO, ISIDORVS, *micrologus*, ODO Cameracenſis, RABANVS, RADVLFVS, REGINO, REMIGIVS, RVPERTVS Tuitienſ. Hugo de ſ. VICTORE, & ſtrabus WALAFRIDVS. Pleroſque vna edidit *Melchior Hittorpius* Colon. 1568 fol. de quibus, *ordine romano*, *horis*, *breuiariis*, *diurnis*, *cet.* videſis laudatum *C. M. Pfaffium*, & qui praeiuit ac nuper ſecutus eum eſt, *Nic. Petr: Sibbern*, de libris eccleſ. Latinorum, 8, Vitemb. 1706, cum augm. nuper recuſum. Eamdem, Latinam ſaltim, tangunt eccleſiam errori vel in his quoque cancellis obnoxii CHRISTOPHORVS MARCELLVS ſeu, Baelio iudice, AVGVSTINVS PATRICIVS, cuius tres *de ritibus eccl. catholicae* libri Ven. 1616, fol. editi, aliquoties ſunt recuſi, IO. STEPHANVS DVRANT, ſeu PETRVS DANESIVS, *tribus libris ſimilibus* Rom. 1591, ſ. Lugdun. 1675, 4, BARTOL. GAVANTVS *ſacrorum rituum theſauro*, 2 voll. Lugd. 1669, 4, CLAVDE DE VERT dans ſon *explication hiſtorique & litterale des coûtumes de l' egliſe*, 4 voll. 1708-13, 8, op. monachi Cluniac. 1708 defuncti poſthumo

XXXIX. EDMVNDVS MARTENE, mon. bened. e congr. Mauri, quinque *de antiquis monachorum ritibus* libris, Lugd. 1690, 4, editis, ſuccedere voluit *de antiquis eccl. ritibus* libros, quorum *ſex*, de baptiſmo, confirmatione, euchariſtia, ceteris ſacramentis, ritibus benedictionum, & politia eccl. Rothomagi 1700, 4, tribus tomis comparuerunt. Illos nouum, *de antiqua eccl. diſciplina in diuinis officiis per totum annum celebrandis*, librum, Lugd. 1706, 4, ſequi iuſſit. Breuitas artati operis obſtitit *Ioach. Hildebrando* de ſacris publ. templis & diebus feſtis, *Quenſtedio* antt. eccl. 1688, 4, *Ioanni Friderici* in liturgia vetere & noua, *Alexandro Roſs & Dauidi Nerretero* de cultibus vniuerſi, *Ioanni Hoornbeck* miſcellaneor. ſacror. libro I, *Io. Bapt. Caſalio* de ſacris chr. ritibus; hoc etiam cum coetu ſuo nubem ſaepe

pro

pro Iunone amplectente. Sparſa ſunt, quae lexicis eccleſiaſticis *Ioſua Arndius* & *Io. Andr. Schmidius*, antiquario *Chr. Schoettgenius*, florilegio *Matth. Zimmermannus*, gloſſariis *Cangius*, *Speelmannus*, *Lindenbrogius*, hierolexicis *Carolus & Dominicus Magri*, ac *Rechenbergius* p. m. theſauro quinque luſtrorum *Suicerus*, lexicis hiſtoricis *Morery*, *Buddeus*, *Baſileenſes*, *Lipſienſes*, vniuerſali *alii*, ad eccleſiae antiquitates facientia, obſeruarunt. Quod ſi vota irrita iuuarent, vt vel *Card.* BONA, abſolutis *de diuina pſalmodia* & *rebus liturgicis* operibus, omnem ſacrae antiquitatis campum fuiſſet emenſus, vel noſtro, certe ſuperiori ſeculo ſcriptae fuiſſent *hiſtor. eccleſiaſt.* CENTVRIAE, *Magdeburgi* ceptae, in quibus *ſextum cuiusuis ſeculi caput* his noſtris antiquitatibus eſt deſtinatum. Nec ad vmbilicum perduxiſſe opus *de perſonis muneribus ritibus caerimoniis & conſuetudinibus veterum chriſtianorum eorumque origine partem ethnica partem iudaica* ANTONIVM VAN DALEN, dolendum. Locos & tempora confundit CASPAR. CALVOER, *rituali eccleſiaſtico*, 2 voll. 1705 ſq. alia omnia agens, cum aethiopibus rem habens, e *Diterici* diſpoſitionibus euangelicis, rebus a noſtra aetate remotiſſimis fidem conciliare ſtudet

XL. Propria ea eſt Elmipoleos laus, quod antiquitatis ſacrae peritiſſimos continuo fouerit viros. In his olim IOACHIMVS HILDEBRANDVS, cuius vti ſinguli huius generis libelli collectione & noua editione ſunt digni, ita *antiquitates eccleſiaſticae*, quarum *ſyſtema MS.* mea ſeruat bibliotheca, lucem publicam meritae, a memet editioni parabuntur, ſi quis bibliopola meam honeſtis conditionibus operam deſiderauerit

XLI. Priora ſaltim ſecula illuſtrant BALT. BEBELII antiquitates, pluribus mediae formae voluminibus excuſae. Neque vlterius facile pergunt, quos per ſaturam apponere lancem iuuat, ſequentes. G. ARNOLDI *idea primorum chriſtianor. quod ad fidem ac mores*, fol. Lipſ. 1696, 1700, 1712, & 4 mai. 1732 cum tomo III, item lingua Belg. Amſt. 1698, fol. W. CAVES *primitiue chriſtianity* ſaepe verſa & recuſa. NIC. MVSSARD *parallele des coûtumes de nôtre tems & des anciens*, 8, a Gennes 1667. IO. FRONTO *de moribus & vita chriſtianor. in primis eccleſiae ſeculis*, 4, Pariſ. 1660, & Leodii 1674, 12, & cum aliis opp. cura Fabricii Hamb. 1720, 8. PAGANINVS GAVDENTIVS *de vita chriſtianorum ante tempora Conſtantini,*

tini,

Digitized by Google

tini, 4, Florentiae 1639. CHR. KORTHOLTI *comparatio cultus publici noſtrae aetatis cum primaeuo*, 12, Kilonii 1672 theutonico idiomate exarata. CLAVD. FLORIDI *mores chriſtianorum veterum*, Lutetiae editi, Hagae com. 1682, 12, & in germania theutonice, recuſi. EDW. WATERHVSES *enquiry from the piety and police on the ancients Eeuw's and primitiues chriſtian's*, Lond. 1655. MStum legi *Traité des anciennes ceremonies ou l' hiſtoire contenant leur naiſſance & accroiſſement, leur entrée en l' egliſe, & par quel degrez elles ont paſsé iusqu' a la ſuperſtition.* Ritus hoc libro, ordine chronologico, inde ab a. D. 110 vsque ad 1470, anno, quo quisque ortus eſt & inualuit, recenſentur. Prodiiſſe colligo opuſculum Amſtelodami &, poſt XV annos, a Charenton par Oliuier de Varennes

XLII. In originibus fere ſubſiſtit, vltra quartum raro deſcendens ſeculum, IOSEPHVS BINGHAM, cuius *origines ſ. antiquitates eccleſiaſticae* Lond. 1708-1723, 8, decem tomis patria lingua prodierunt. *Epitomen* huius operis admodum ſibi diſplicuiſſe, teſtatur praef. tomi X, qua in anonymum eius auctorem inuehitur. Poſt interpretem *Batauum* hoc opus in *Latinam* linguam conuerſum Halae 1724-1729, 4, totidem voluminibus edidit *Henr. Griſchouius* Halberſtadienſis

XLIII. Pauci de *feſtis chriſtianorum diebus* ſingillatim expoſuerunt. ROD. HOSPINIANVM parui faciunt, quiſcorias dignoſcere cauti quid ſolidum crepant. IOACH. HILDEBRANDI *de feſtis liber* & I. ANDR. SCHMIDII *hiſt. feſtorum* accurata ſunt *compendia*. Paullo amplius eſt LVD. TOMASSINI *traité des fêtes*, a Paris 1680, 8. Praeſtat ceteris ADRIANVS BAILLET, libris: Auteurs deguiſez, iugemens des ſauans, vies des ſaints, & c. clarus; cuius *hiſtoire des fêtes fixées* Lutetiae 1703, 8, edita, cum *hiſtoria feſtor. mobilium*, *dominicarum & feriarum*, eadem lingua, Pariſiis, forma grandi, eſt recuſa. Lectione digna & mentione eſt CHRISTIANI WILDVOGELII *chronoſcopia legalis*, *ſ. de iure feſtorum & praecipuorum anni temporum commentatio*, e vario iure, hiſtoria, & antiquitatibus, concinnata, Ienae 1700, 4. ANTONII DVLCIATI, eremitae Tuſci, *de feſtis mobilibus* pars I, *Fabricio* bibliogr. p. 193. ed. nou. citata, mihi numquam occurrit; quis adeo ſit ille Florentinus ater an albus? ignoro. Fruſtra talium numero accenſetur *Ge. Hesſius* & *Andr. Wilkius*. Pericopas feſtiuas e poetis veteribus excerptas, notis alter illuſtrauit, opus poſthumum edidit alter.

ANTI-

Digitized by Google

* *

ANTIQVITATES EPIPHANIORVM

CAPVT I

DE NOMINIBVS FESTI GRAECIS LATINIS CETERIS

I.

Facilius puto de genuino vocis EPIPHANIA iudicatum iri ſignificatu, poſtquam vocum *επι* atque *φαινομαι* ideas curate poſuero ob oculos. Επι in compoſitione aduerbium referre iudico; cuius vice poſitum ſeorſum etiam & extra compoſitionem deſuper ac ſuperne ſignificat. Conſentit SCHOLIASTES *Apollonii rhodii αργοναυτικων* B. *β. επι δε*, ſcribens, *λοφοι ἐσσειοντο.* ſuperne criſtae induebantur. Tantum abeſt vt auctoritate, quae in his talibus iure ſit maximi, deſtituar. Φαινω interpretor ſicut Ebraeorum hithpael permiſſiue & curatiue, apparentem reddo vel Latinius oſtendo. Illud ſane de pluribus neutris dicendum, quandoquidem paſſiua terminatione actionem deſignant non reciprocam. Ab illo *φαινομαι*, i. e. apparens fio, oſtendor, luceo & appareo, deſcendit; qui idem ſignificatus actiuo, *φαινω*, ſaepiuſcule inhaerere ſueuit. Subſtantiuum, *φανιαν* & *φανειαν*, dixiſſe graeci minime videntur, *φαναιον* autem *Ζηνα*, Iouem illuſtrem, Euripides in Rheſo, & *φαναιον Απολλωνα*, eumque Chienſem, Heſychius, vocauerunt. *Ερως* etiam *φανης*, e chao primum apparens dicitur in Orphicis ſuperſtitibus ab Eſchenbachio diuulgatis. *Επιφαινω* idem eſt, ac deſuper oſtendo, vnde paſſiuum *επιφαινομαι* oſtendor, appareo; quod & de neutro, medium vocamus, vt in ſimplici, ita in hoc compoſito, eſt intelligendum. Loca, ſectione IV huius capitis annotantur.

II. *Επιφανεις* vocabantur homines, genere ac virtute conſpicui, nobiles, atque illuſtres. Syriae regibus, ſucceſſoribus Alexandri M. non vnis hoc familiare fuiſſe agnomen, paucos fugit, qui veterum verſarunt monimenta. Tacemus Parthorum, Perſarum, Armeniorum, Bythiniorum, principes non nullos, de quibus SPANHE-

 MIVS,

MIVS, loco citando, conferatur. Επιφανεϛατοι vocabantur principes, qui Romanis audiebant nobiliſſimi. * Autor nobi[illegible]uius ſententiae exſtitit Philoſtorgius, cuius in *epitome* ** *απο φωνης* ΦΩΤΙΟΥ *πατριαρχȣ*, libri VIII capite VIII, narratur, *ὁτι Ιωβιανες, ὁ βασιλευς, προς την Κωνϛαντινȣπολιν απαιρων, και γεγονως εν Αγκυρα, θατερον των ἑαυτȣ παιδων, Ουαρρονιανον, κομιδη νεον οντα, επιφανεϛατον, ὁ παρα Ρωμαιοις τον νωβελισσιμον δυναται, αναγορευει.* quod Iouianus imperator, Conſtantinopolin proficiſcens & moratus Ancyrae, alterum ſuorum filiorum, Varronianum, valde inpuberem exſiſtentem, epiphaneſtaton, quod apud Romanos nobiliſſimum denotat, deſignarit. *Scriptorum hiſt. eccl.* VALESIO-READINGIANORVM *tomo III, p. 523*, editorum *Cantabrigiae 1720, f. mai.* Dignitas illa *ἡ τȣ επιφανεϛατȣ αξια* conceptis verbis vocatur ab eodem PHILOSTORGIO, *epitomes* citatae *libro XII, cap. XII*, p. 550 editionis modo laudatae. Factum iſtud poſt anni D. CCCLXIII diem XIV octobris, Iacobus Gothofredus in chronologia codicis Theodoſiani, ſplendide nuper

* Optimus Traianus, ſeculi quod Auguſtus auſpicatus eſt princeps nouiſſimus, dicitur nobiliſſimus in epigraphe lapidis, quem p. CCXLVI. n. 3. inſcriptionum ed. Graeuianae exhibuit Ianus Gruterus. Et Commodus, tum Caeſar, pontifex nobiliſſimus dictus in marmore p. CCLX. n. 6 Gruteriani theſauri offenditur, cuius etiam nummus, nobilitatem Auguſti prae ſe ferens, reperitur. Denique Maximini quoque filius C. Iulius Verus Maximus Nobiliſſimus Caeſar Princeps iuuentutis inſcriptione antiqua ſalutatur. Neque tamen ante Philippi iunioris aeuum in vſu fuiſſe illud deprehendimus, quod poſtmodum inualuit & in monimentis Romanarum rerum viſitur frequentius, vt, qui ſucceſſor dandus foret regundae Romanorum rei, vltra principis iuuentutis nomen epitheton nobiliſſimi adoptaret. Quum deinceps mores imperatorum noui, cum ſacris chriſtianorum nouis illati imperio, efficerent, vt vago concubitu neglecto coniugi vnicae maior daretur opera, principum iuuentutis atque Caeſarum numerus creſcebat; quorum vt ratio diſtincta haberetur ſingulorum, maior natu Caeſar, nobiliſſimi minores dicebantur; quae dignitas, Auguſtis conniuentibus, in agnatos etiam deinceps fuit propagata. Plura de nobiliſſimis ad Tacitum, Procopium, Zoſimum, Philoſtorgium, Codicem Theodoſianum, Photii *μυριοβιβλον*, Nicephorum Xanthopuli, faſtos COSS, plures, illuſtrandos, olim, anſa data, commentabor

** Male haec verba interpretatus eſt CASPAR SAGITTARIVS *introduct. in hiſt. eccl. tomo I, p. 14, ed.* 1718, 4; quod reprehendit & emendat THOMAS ITTIGIVS *p. XII praefationis* ad *ſelecta capita hiſtoriae eccl. ſeculi chriſtianor. ſecundi*, ed. poſt fata Ittigii Lipſ. 1711, 4

Digitized by Google

nuper recuſa, demonſtrauit. * Καισαρα αναστησας αυτον Ιωβιανος, addit SOCRATES SCHOLASTICVS hiſtoriae eccl. libro VII, cap. XXIV, ed. Graec. Quae cum Olympiodori eclogis, typis Andreae Wechelii a Frid. Sylburgio editis, conferenti, patet, illa aetate Caeſaris, nobiliſſimi, & *επιφανεστατου* titulos idem omnino ſignificaſſe. Ad aetatem prouectam vt reſpexerint in conferenda dignitate Auguſti imperatores, tantum abeſt, vt etiam Varronianum, eumque vel inpuberem & valde puerum, illo nomine dignum iudicarit Iouianus. Certe vix quinque annos natum tunc fuiſſe dictum iuuentutis principem, in critica Baroniana demonſtratum iuit Antonius Pagi

III. Etiam *Deos*, quum in myſteriis ſacris ſe vel conſpiciendos praeberent, vel alia quadam ratione ſuam teſtarentur praeſentiam, *επιφανεις* compellabant. Fide numorum, & aliis, ſententiam confirmat, argumentis, perilluſtris SPANHEMIVS, operis aeuiterni *de vſu & praeſtantia numiſmatum* diſſertatione V, tomo I, pag. 386-391, *ed. Elzeuirianae.* Inde ſubſtantiuum nomen, ΕΠΙΦΑΝΕΙΑ, aeque ac, ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ, auctores non eccleſiaſtici de adparente numine benigno vſurparunt. Numinis praeſentiam in Tulli Hoſtilii ſacrificiis fuiſſe deſideratam indicaturus TITVS LIVIVS, *nullam*, ait, *ei* OBLATAM CAELESTIVM SPECIEM. *hiſt. rom. decadis I, libro I, cap. 31.* Illud etiam, quod ad epiphaniorum nomen attinet, probe tenendum, haud ita vage nominibus dictis vti ſcriptores non eccleſiaſticos, quin *την επιφανειαν* atque *την θεοφανειαν* ad ipſum numinum retulerint aduentum; quum ea contra *τα επιφανια* & *τα θεοφανια* dies appellarent feſtos, quibus illuſtris Dei praeſentiam memori recolebant mente. Haec inde *αγειν* ac *θυειν* dicebantur pagani. Conferantur DIODORVS ὁ ΣΙΚΕΛΙΩΤΗΣ *bibliothecae libro I*, vbi de Iſide facit verba; DIONYSIVS ὁ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΥΣ *libro XII antiquitatum Romanarum;* PHOTIVS CP *μυριοβιβλου codice CCXXXXIIII* p. 616 ed. Hoeſchel. Addantur, qui adhuc dicta amplius tradunt, IACOBVS GOTHOFREDVS *exercitatione ſacra II* de myſterio pietatis; IOANNES KINDLER *diſſertatione de epipha-*

* Equidem vbi haec legerim, iam non reminiſcor. Sane ad annum CCCLXIII, *pagina LXVI ed. nouiſſimae* RITTERO-HAGERIANAE nihil tale lego: neque diem conſtituit GOTHOFREDVS *anno CCCLXIV*, quo cum Varroniano conſulatum adiit Iouianus

Digitized by Google

epiphaniis, Vitemb. 1684, 4; IO. PAVLVS HEBENSTREIT *de epiphania & epiphaniis apud gentiles & chriſtianos ſic dictis*, Ienae 1693, 4, cap. I, *paginis 31 prioribus pentadis diſſ. academicarum*, Ienae 1694, 8, recuſae; & IOANNES GOTTLOB NIMTSCH *de apparitionibus Deorum*, ad illuſtranda noui foederis loca Lipſiae 1720, 4, edita diſſertatione

IV. Eccleſiaſtici auctores verbis *επιφαινειν* & *επιφανεια* praeſentiam ϑεανϑρωπου indicabant, de qua Paulus ad Tit. II, § 11, & c. III, § 4, & Lucas λογω α', c. I, § 79. Quae ſicut ſingula loca de Chriſto *ενσαρκωϑεντι* agere palam eſt, ita *ἡ επιφανεια της παρουσιας αυτου*, ad Theſſal. II, c. II, § 8, & nude *ἡ επ. του κυριου ἡμων Ιησου Χριϛου* ad Tim. I, c. VI, § 14, & II, c. IV, § 1 & 8, nec non *ἡ επ. της δοξης αυτου* ad Tit. c. II § 13 praeſentiam eiusdem nouiſſimam indicat, futuram die illo, quem *την ημεραν κυριου την μεγαλην και επιφανη* vocat Lucas λ. β', c. II § 20. Num vero PAVLVS ad reuocatum ex erebo Chriſtum, an, quod mihi ſe probat, ad eundem natum, reſpiciat, *2. Tim. II, c. I § 10*, ſub indice lis eſt. Sane GE. PASOREM theologum reform. graece apprime doctum lego *ομοψηφον*, *lex. graec. N. T. apocr. & των ὁ, col. 1637, ed. Gleditſch. 8 mai.* SVIDAS *επιφανειαν* vocat *την του σωτηρος Ιησου Χριϛου ενσαρκον οικονομιαν*, ducem ſecutus EVSEBIVM *αποδειξ. lib. VIII. p. 227 Pariſ.* ac THEODORITVM CYR. *de curandis Graecorum adfectionibus λογ. ϛ'* & *ἰ*. In vtramque, priorem ſoteris, & poſteriorem iudicis, praeſentiam digitum intendit IOANNES, CHRYSOSTOMVS ab eloquentia dictus, *in ep. ad Tit. c. II § 11*, *επιφανειας* aiens *ειναι δυο*, *προτεραν χαριτος, δευτεραν ανταποδωσεως και δικαιου*, cuius vt ſolet veſtigia premit THEOPHYLACTVS Bulg. AE. *in l. c.* Δυο ſcribit *επιφανειας λεγει*, ſc. apoſtolus, *και ἡ μεν πρωτη χαριν εχει και αφεσιν-- ἡ δε δευτερα ανταποδωσιν μετα δοξης δεικνυμενη.* Orationem *περι της ενσαρκου επιφανειας του Θεου* inſcripſit ATHANASIVS, *operum tomo I, p. 595 ed. penult.* legendam. Eodem epitheto vtuntur EVSEBIVS *demonſtrationis libro VIII. p. 226. ed. Vigerii*, IDEM *hiſtoriae eccleſiaſticae libro I, c. 5, p. 5 ed. Cantabrig.* ISIDORVS PELEVSIOTES *libri I epiſtola CCCCXXXVI, p. 111 ed. Pariſ.* & *libri IV ep. CCXXIX, p. 552.* Non procul abit GE. PACHYMERES, *την κατα σαρκα επ.* commemorans *in Dion. Areop. de cael. hierarch. c. IV, p. 58,* *ed.*

Digitized by Google

ed. Par. 1644. Eadem σωματικη επ. audit ATHANASIO *p. 72. or. II*, quae, εις την δια τȣ σωματος προς ἡμας επ. inſcripta, primo operum tomo, exhibetur. Non numquam την εις ανθρωπȣς επ. offendimus, qua conſtruendi ratione delectari EVSEBIVM fidem faciunt demonſtr. lib. III p. 57, lib. V p. 151, & lib. VI p. 162 ed. laudatae. Denique epiphaniam theanthropi θειαν vocat ATHANASIVS oratione II laudata. Singuli quos iam excitauimus teſtes ita voce επιφανειας vtuntur, vt rem geſtam, praeſentiam ſaluatoris indigitent: a qua paullulum regula deflectit AVTOR *conſtitutionum apoſtolicarum lib. VIII, c. 33, p. 1033 ed. Gr. Lat. Pariſ. 1618, f.* Eumdem locum exhibet TYPICVM SABAE, *Venetiis 1615, f. excuſum, pag. 135*; vbi, διαταξεως Παυλȣ και Πετρȣ nomine, laudari conſtitutiones, ὡς εν παροδῳ notandum. ΘΕΟΦΑΝΕΙΑΝ vocant alii, quam θειαν επιφανειαν dixiſſe ATHANASIVM, modo monuimus. Incerti aeui lexicographus aureus, SVIDAS, theophaniam θυλικην ſeu feminini generis eſſe monens, την τȣ θεȣ φανερωσιν inuoluere docet. Theophaniam vnigeniti filii celebrat *Nyſſenus* GREGORIVS *oratione, Baſilio M. ſacra, tomo III Nyſſ. p. 479 ed. Lutet. 1638, tomo III Baſilii, Garneriani, & aliar. edit.* obuia. Diuerſa ab vtero virginis via potuiſſe Deum ποιησασθαι την ἑαυτȣ θεοφ. ſi quidem fuiſſet lubitum, ſcribit ATHANASIVS *de logo incarnato, tom. I p, 60.* Porro της τȣ Χριστȣ θεοφ. mentionem iniicit *Nyſſae* antiſtes laudatus *logo catechetico, cap. 18, tom. III p. 75*, qui την δια σαρκος γενομενην ἡμιν θεοφ. commemorat *hom. XIII. in cant. tom. I. p. 664.* ΘΕΟΦΑΝΙΑΝ ſcripſiſſe autorem, qui, AREOPAGITAE venerabili nomine emendicato, fallere conatus eſt, aſſerit, locum omittens, more Stephani magiſtri, IOANNES SCAPVLA

V. Diem, epiphaniae ſacrum, τα επιφανια, τα θεοφανεια, τα επιφανεια, & τας θεοφανιας vocabant veteres Graeci. De gentilibus quod ſufficeret, ſupra monuimus: quibus Herodoti θεοφανια libro I & Iulii Pollucis τα θεοφανεια onomaſt. lib. I, iungantur. Inter eccleſiaſticos SVIDAS τα θεοφανεια feſtum notare innuit, quum ſit poſitum, ȣδετερως, πληθυντικον. Επιφανειων ἡμεραν vocat EPIPHANIVS CYPRIVS, *panar. lib. III, p. 466* ed. Graec. Heruag. Γενεθλιον αυτȣ ἡμεραν, τȣτ᾽ εστι επιφανιων, idem Salaminius antiſtites exponit haereſi LI, quae eſt κατα ανοητων, pag. 196. Θεο-

φανειων ἑορτην commemorat Philoſtorgius, eclogarum Photii lib. VI c. 2. Παρ' ἡμιν ἑορτη πρωτη τα επιφανια, ait Chryſoſtomus homil. LXXXVIII, tom. V p. 602 ed. Sauilianae. Εις τα θεοφανια ετ' ου γενεθλια τυ σωτηρος orationem XXXVIII dixit Gregorius ep. Nazianzi, qui eadem concione την πανηγυριν τα νυν θεοφανια appellat, & paucis interiectis, ονομα δε, ait, τω φανηναι μεν θεοφανια, nomen ab apparendo ſortita. Baſilius ὁ μεγας, Neocaeſareae epiſcopus, ονομα, ſcribit, θωμεθα τη ἑορτη ἡμων θεοφανια, oratione XXV in ſanctam Chriſti geneſin, operum tom. I p 593 ed. Pariſ. 1618. Θεοφανεια ideo dicta ait Chryſoſtomus, quod Chriſtus tunc quum baptizatus fuerit, hominibus ſit manifeſtatus, qui antea inde a natiuitatate latuerit obſcurus. de bapt. Chriſti, hom. XXIII tom. I p. 278. Η επιφανεια id eſt apparitio veteribus eccleſiaſticis nominata foret, ſi fides habenda Dreſſero p. 11 libelli de feſtis chriſtianor. Et ἡ τυ θευ επιφανεια vocatur dies ille feſtus a Menandro in eclogis legationum; niſi memoria labor; Nunc enim prae manibus non ſunt. Illud etiam hoc non obſeruare loco nequeo, obtuliſſe ſe mihi autores vltra duodecim, quibus θεοφανιων & θεοφανειων voces ipſum ſaluatoris aduentum denotant; tantum abeſt, vt pro feſto ſemper die haec vox vſurpetur. Denique adiectae etiam voces laudatae occurrunt nominibus ἡμερα, ἑορτη, ceteris. Sic επιφανειος ἡμερα ἡμιν εςω τιμιωτατη, praecipiunt conſtitutiones apoſtolicae, lib. V cap. XII.

Noua quoque effigiauit feſti nomina, Graecia, quae a geſtis eius diei, vel a ritibus tum ſolemnibus, deriuauit. Νηςημον ἡμεραν dictam a Theophilo Alexandrino, citante Epiphanio in panario, fruſtra contendit Dionyſius Petau. Ea contra per vigilias epiphaniorum eumdem interpretatur locum Claudius Saumaiſe, libro, Simplicii Verini contra Grotium titulo inſigni, p. 136. ſqq. Ημεραν των φωτων, imo τα φωτα nude, dictum fuiſſe epiphaniorum diem, ne miremur. Etenim baptiſmus ab effectis illuminantibus, qui ipſi tribuuntur, antiquitus φωτισμος & φωτα appellabatur. Abſit certe, vt a luce ſtellae magorum, de qua inferius, vocis illius vſum deriuemus. Dicto ſuppetias ferent exempla. Legimus Nyſſeni orationem de Chriſti baptiſmo, dictam: εις την ἡμεραν των φωτων, εν ἡ εβαπτισθη ὁ κυριος ἡμων. tom. III p. 366. Nazianzenus homilia vndequadrageſima, εις τα ἁγια φωτα των επιφανιων λογος inſcripta, tom. I pag. 624 ſ. ed. Lipſ.

Lipſ. 1690. Idem inter cetera, ἡ ἁγια, inquit, των Φωτων ἡμερα - - αρχην μεν το τȣ εμȣ Χριϛȣ βαπτισμα λαμβανει, κ.τ.λ. Aſterius Amaſenus in feſtum calendarum, Φωτα, ſcribit, πανηγυριν αγομεν, επειδαν τη των ἁμαρτηματων αφεσει - προς τον φωτεινον βιον αναγομεθα. auctarii Combefiſ. tom. I, p. 67. GREGORIVS *Alex.* in *vita Chryſoſtomi* της ἑορτης των ἁγιων επιφανειων, της επιλεγομενης Φωτων, καταλαβȣσης, & CEDRENVS *epitome hiſt. in vita Romani Lecapeni*, Ρωμανος ταινιωθεις τῳ βασιλικῳ διαδηματι ϛεφει κατ' αυτην ἡμεραν των ἁγιων Φωτων και την ἑαυτȣ συζυγον Θεοδωραν, ſcribunt, teſte BEVEREGIO, *ſynodici tom. II, p. 213, ad paraphr. arab. canonis V Niceni*

VI. ARABES hanc vocem: FOTA. retinuerunt, vocantes alias noſtrum diem FESTVM EPIPHANIORVM. Vtrumque eſt IOSEPHI AEGYPTII, *paraphraſi arabica quatuor concilior. general. priorum*, ſynodici Beueregiani tomo I, p. 681-727 legenda. FESTVM LVCVLENTVM vocat EVTYCHIVS Alexandriae patriarcha *annalium tom. I, p. 522 ed. Oxon.* Iidem Arabes, FESTVM SACRAMENTI AQVAE, *epiſt. ad Titum c. II, tit.* item nude SACRAMENTVM AQVAE *ep. II, ad Timotheum c. IV, tit.* appellant, teſte, ad l. c. Ioſephi, BEVEREGIO voluminis II parte III, quae *annotationes* ſiſtit, p. 213-214; qui idem vir doctiſſimus docet, SYROS epiphania noſtra vocare DENHHO, quaſi dicerent orientem; AEGYPTIIS autem FESTVM THERMARVM eſſe in ore; cuius compellationis rationem alio loco exponemus. LATINA epiphaniorum nomina vt Latium ſapiant, equidem vereor. EPIPHANIA graecis debentur; ſed EPIPHANIAE, quae in calendariis medii aeui paſſim occurrunt, hominibus, quibus Priſcianus vapulabat continuo, grates referent decentes. BETHPHANIA, hybrida vox, ab Ebraeorum בית deriuata, praeſentiam Chriſti, domi illuſtrem, quum Canae celebrarentur nuptiae, reſpicit. REGALIA laudantur DRESSERO de feſtis p. 11. PHAGOPHANIA ad V millia hominum, panibus quinque ſatiatos, pertinent. SECVNDA EPIPHANIA dicebantur aetate illa, qua baptiſmi, magorum, ceterorum mirandorum, ſeorſum recolebatur memoria. RVFFINVS, dictam NAZIANZENI *or. XXXIX* interpretatus, *de ſecundis epiphaniis* inſcripſit; codice Diuionenſi, quem IAC. CHIFLETIVS *ad Vigilium Tapſitanum* laudauit.

dauit. Et ISIDORVS HISPALENSIS *originum lib. VI cap. 18* duae ſunt, ait, epiphaniae - - ſecunda, in qua ex gentium populis, ſtella indice praeſepis cunabula adoraturos, magos exhibuit Chriſtus. ALTERVM CHRISTI NATALEM fuiſſe dictum euincit IO. BAPTISTA COTTELIER *ad conſtitution. apoſtolic. lib. V cap. 13.* Denique feſtum MAGORVM, feſtum *diem* REGVM, de quibus alibi diſſeremus, Romano ore extulerunt alii. THEVTONICA feſti nomina, tempore excluſus, vberius illuſtrata, alio loco, cum lectore theutophilo communicabo

CAPVT II

DE REBVS GESTIS QVORVM MEMORIAE SACRA SVNT EPIPHANIA

I.

Natum octauo idus ianuarias Chriſtum, tantum non omnis graecia, imo oriens, tenuit: atque adeo *natalem* illo die feſtiuitatem celebrauit. Stridonenſis HIERONYMVS *Ezechielis § primum* expoſiturus, "apud orientales, ait, (Ebraeos puta) october erat primus „menſis, & Ianuarius quartus. Quintam autem diem menſis (quarti) „adiungit (Ezechiel), vt ſignificet baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto „caeli, & epiphaniorum dies huc vsque venerabilis eſt: non, *vt qui-„dam putant, natalis in carne.*" Inſequentibus refutatur haec orientalium opinio, Hieronymi aetate ſenſim abroganda. ORIGENES, vel quisquis alius eſt autor *homiliae in diem epiphaniae* (verba ſunt interpretis) quae *concionum de diuerſis* eſt *octaua:* ſiue hodie, ſcribit, *natus* eſt Ieſus, ſiue baptizatus, diuerſa quippe opinio fertur in mundo. Vbi obſerues velim, mundum hic vtramuis eccleſiam, tunc diſſidentem in huius feſtiuitatis termino ac die, denotare; ſiquidem Origenis nomen rite prae ſe ferat opuſculum. Idem dogma, ſeu opinio, in Antiochena, atque adeo in omnibus Syriae, cuius caput Antiochia, eccleſiis, per plura durauit ſecula, abrogata demum aetate CHRYSOSTOMI, ipſo teſte *hom. ad populum Antiochenum* εις την γενεθλιον ἡμεραν τȣ σωτηρος, ordine XXXI in ed. *Henr. a Sauilis*, ȣπω, ſcribit, δεκατον εϛιν ετος, εξ ȣ δηλη και γνωριμος ἡμιν αὑτη ἡ ἡμερα γεγεννιται. Idem, paucis interiectis, παρα μεν, ait, τοις την ἑσπεραν οικȣσιν ανωθεν γνωρι-

γνωριζομενη, προς ἡμας δε κομισθεισα νυν, και ου προ πολλων ετων αθροον ἐτως ανεδεξαμε. *hom. XXX & tertia*, editionum *Ducaci* tom. V, p. 417. Hieroſolymitana eccleſia ſeruatoris natalem itidem pro obiecto ſuae celebritatis habere non detrectauit. Teſtes huius adſerti CLEMENTEM *Alexandrinum*, *ſtromatum libr. I*, & EVSEBIVM *Pamphili*, *hiſtoriae eccleſiaſt. libr. I cap. V*, excitat CAESAR BARONIVS *apparatus annalium ſectione CV, p. n. 40*, nec non ANTONIVS PAGI *apparatus criticae ſectione XCV*. Vterque, ait Pagius, Chriſtum die VI Ianuarii, epiphaniae ſacra, natum exiſtimauit, *pag. 22 ed. Pariſ. 1689*; vnde, quod ad Clementem, recedit *ſect. CXLVI, p. 37 ed. Geneu. 1705*. Confer COTELERIVM ad *conſtitutionum apoſtolicar. lib. III cap. XIII*. De CYPRI eccleſiis, cuius primariam Salaminen, Conſtantia demum dictam, inde ab anno quarti ſeculi LXVIII regebat EPIPHANIVS, hic antiſtes rem conficit. Quotiescumque enim de feſto epiphaniorum verba facit, natalem Chriſti innuit, quem Ianuarii idus octano adſignat. Baptiſatum, verbi cauſa, ſexageſimo die ſcribit ante ἡμεραν επιφανιων, ἡ εςιν ἡμερα της αυτου γεννησεως κατα σαρκα, *contra omnes haereſes tomo β′, haereſi LI ſ. alogorum, ſect. 16*. Porro ἡμεραν των επιφανιων illam vocat, ὁτι εγεννηθη εν σαρκι ὁ κυριος. αγκοξατου ſeu *expoſitionis fidei cap. XXII*. Idem noſter haereſiomaſtix natum ſeruatorem ſcribit περι τον ιαννουαριον μηνα, τουτ᾽ εςι, pergit, προ οκτω ειδων ιαννουαριων, κ. τ. λ. *haereſ. alogor. ſect. XXIV*. De ARMENIS non diſſimilia adſerit IOANNES CITRI *epiſcopus*, ſeculo XIII clarus; ηγουν, ait, τον ευαγγελισμον και την γεννησιν, και τα θεοφανια συναπτως εκτελουσι κατ᾽ αυτην την ἡμεραν των θεοφανιων, *reſponſis ad Cabaſilam; p. 323, ſeq. libri V iuris Graeco-Romani Ioannis Leonclauii*. Cum his omnibus bene conueniſſe AEGYPTIIS, perſuadet nobis IOANNES CASSIANVS *monachus*; intra Aegypti, ſcribens, regionem mos iſte antiqua traditione ſeruatur, vt peracto epiphaniorum die, quem prouinciae illius ſacerdotes, vel dominici baptiſmi, vel ſecundum carnem natiuitatis, eſſe definiunt, & idcirco vtriusque ſacramenti ſolemnitatem, non bifarie, vt in occiduis prouinciis, ſed ſub vna huius diei feſtiuitate concelebrant, cetera. *de inſtitut. mon. collatione X, capitis II principio, pag. 345, ed. Antuerp. 1578, 8*. Mutatum hunc morem orientalium, forte ante annum CCCCXXXI, quo Epheſina habebatur ſynodus, colligimus ex homilia PAVLLI *Emiſeni*, actis concilii, parte tertia, capite triceſimo & primo, inſerta, *concilior. ed. Labb. tom. III, p. 1096*. Ita vero illa inſcribitur: ὁμιλια παυλου επισκοπου εμισης,

λεχθεισα κθ´ χοιακ (huic diei cum decima & quinta decembris optime conuenit) *εν τῃ μεγαλῃ εκκλησιᾳ αλεξανδρειας, καθημενȣ τȣ μακαριȣ κυριλλȣ, εις την γεννησιν τȣ κυριȣ και σωτηρος* Ιησȣ Χριϛȣ

II. Eodem die, qui epiphaniis ſacer eſt, aduentaſſe magos *εξ ανατολων*, haud ita conſtanter, ac viri docti ſibi nobisque perſuadere conati ſunt, ſtatuerunt quatuor priorum ſeculorum chriſtiani. Equidem magorum hodie aduenientium, mentionem iniiciunt ſcriptores; ſed nouiores illi, nec ad primam chriſtianorum aetatem, absque haeſitatione, referendi. *Auctor ſermonum de tempore*, qui AVGVSTINI praeferunt nomen, hodie, fatur, illud ſacramentum colimus, quod in hac die - - in caelo ortus ſui nuncium praebuit (viz. aſtrum) *ſerm. vndetrigeſ.* tomo V, vol. VI, ed. *Benedictin. & CLERICI philoponi.* PETRVS, CHRYSOLOGVS a mediocri dictus eloquentia, *ſermone CLVII, de epiphania & magis* inſcripto, per epiphaniam, dicit, magi Chriſtum dominum muneribus myſticis confitentur, cetera; *bibliothecae patrum nouiſſimae tom. VII, p. 964.* EVCHERIVS *Lugd. AE.* eamdem inter alias affert rationem, vnde epiphaniorum ſolemnitas ſit deriuanda. *homilia in S. Andreae vigilia* (ita MSS & editt.) Antuerp. 1602, 8. Denique LEO M. romanor. epiſc. I, *octo concionibus*, in praeſentem quam tractamus ſolemnitatem habitis, aduentum magorum, adeoque aſtri epiphaniam, non praecipue, ſed quaſi ſola & vnica omnino ſit epiphaniorum cauſſa, allegauit. Exſtant *bibliothecae PP. Lugd.* citatae *tom. VII p. 1004 ſqq.* Sicco pene transeundus eſt pede ISIDORVS *Hiſpalis ep. de officiis eccleſiaſt. lib. I c. 26* epiphaniorum autumans diem feſta ſolemnitate viros apoſtolicos ſignaſſe; quia in eo per ſtellam ſit ſaluator oſtenſus, quando inuenerint magi Chriſtum in praeſepio iacentem, & adorarint eum. Sane ad priora quod attinet loca, Auguſtino non tuto ſatis tribuitur ſermo laudatus, quod ſi vel maxime autor ſit praeſul Hipponenſis, ſeculi tamen quinti foret teſtis, cuius quartam partem moriens ſuperarat noſter AVRELIVS. PETRVS CHRYSOLOGVS anno demum CCCCXXXIII ſacrum munus obire cepit. Anno ſequenti praeſulatui admotus eſt EVCHERIVS. Et quadrageſimo eiusdem ſeculi anno Romae ſedem occupauit LEO *papa.* Anterioris aeui auctores ſilent hac die magos, imo diuerſiſſimas feſti allegant origines. Ceterum magolatria cum epiphania in carne ſeu natiuitate, in *menologio* hodierno coniungitur: quamuis diei XXV decembris adſcriptae ſint *επιφανειαι*, quod quando factum ſit quum ignoretur, rationem annotationis praepoſterae quis reddet? Conf. tamen Florentinium ad martyrol. rom. d. VIII Ianuarii

III. Ba-

III. Baptiſmus illuſtriſſimus & *επιφανεςατος*, quo ſaluator, Zachariae ſacerdotis (non P. M.) filio Ioanne miniſtro, aquis Iordanis tingebatur, itidem epiphaniis anſam praebuiſſe videtur. Aderant ciues omnium ordinum, Phariſaei, milites, vulgus, Iudaei, Graeci, Romani fiſci & cenſus curatores cum exactoribus. His audientibus vox ſonuit diuina docens: hunc Chriſtum eſſe Dei filium, cui ſit obediendum. Iisdem oblata eſt caeleſtis ſpecies, videntibus ſpiritum Dei, *πνευμα καταβαινον ὡσει περιςεραν, και ερχομενον επ᾽ αυτον*. Hanc eſſe genuinam epiphaniam, vnde epiphaniorum deriuandus ſit dies feſtus, conſtans veteris eccleſiae eſt traditio. CHRYSOSTOMVS *homilia XXIV de Chriſti baptiſmo* non diem, qua natus, ſed qua baptizatus ſit ſeruator, epiphaneia dici, aſſerit; mentem ſuam vberius, non ſine praegnantibus ratiociniis, exponens; *tom. I p. 276, ed. Ducaei*: ad quem locum, quod obiter notemus, obſeruat ISAACVS CASAVBONVS, hoc etymon etſi verum non putet, eſſe tamen probabilius eo, quod adferat ISIDORVS (ſectione II huius capitis laudatus) & amplectatur BARONIVS. NAZIANZENVS *oratione in ſancta lumina*, ἡ ἁγια, ſcribit, *των φωτων ἡμερα αρχην μεν τε τȣ εμȣ Χριςȣ βαπτισμα λαμβανει. tom. I p 642, ed. Lutet. 1630.* Quodſi GREGORIVS NYSSENVS, orationem, *in diem luminum qua baptizatus ſit Chriſtus*, inſcribere, non dubitauit, Chriſti baptizati memoriam hac die celebrandam, tum fuiſſe rem peruulgatam, colligimus. Exſtat oratio illa *operum tom. III p. 366, ed Pariſ. 1638.* Porro in memoriam regenerationis, quae ſit baptiſmus Chriſti, *φωτα πανηγυριν* actam ſua aetate docet *Amaſeae* epiſcopus ASTERIVS *hom. IV in feſtum calendarum, auctuarii bibl. PP. Combefiſiani tom. I p. 67.* Cum illis graecis amice conſpirat Latinus, aſt in oriente multum diuque verſatus, HIERONYMVS *Stridonenſis Dalmata*, epiphaniorum diem eum eſſe confirmans, quo aperto ſint Chriſto coeli, vnde epiphaniorum dies huc vsque ſit venerabilis. *comm. in Ezechiel. cap. I, § 1.* Idem, iniecta eorum mentione, qui, *natalis* in carne feſtum tunc celebrari, autumarint, in natiuitate, obtendit, abſconditum eſſe, non apparuiſſe, quod (*επιφαινεσθαι*) huic tempori congruat, quando dictum ſit: hic eſt filius meus dilectus, cetera. Forte an mentione denuo dignus ORIGENES, aut ſi mauis interpres *homiliae VIII de diuerſis, tom. II. operum Lat.* ſiue hodie, addubitans, natus ſit dominus Ieſus, ſiue baptizatus: diuerſa quippe opinio fertur in mundo. Haec ſane poſtrema mores, altera orbis chriſtiani parte receptos, verbis conceptis deſignant. Nec denique feſti luminum adpellatio hinc longius recedit; de qua *capi-*

tis I ſectione V actum abunde. Diſplicet quidem haec baptiſmatis in epiphaniis memoria IS. CASAVBONO, patrum graecorum loca, qui epiphaniam per genneſin exponere maluerint, alleganti & vrgenti. *in Baron. exerc. II, p. 168 ſq. ed. 1655.* Vtrumque, natale & baptiſmatis tempus iunxiſſe graecos, innumera, quae laudauimus, loca, euincunt. Idem porro, epiphaniam numquam ſignificare baptiſma, fruſtra contendit; non a baptiſmate, ſed facta ſimul θεια επιφανεια nomen feſti repetimus. Denique verba LVCAE: ὁ δε αυτος ὁ Ιησȣς ην ὡσει ετων τριακοντα αρχομενος, *lib. I, cap. III, § 23,* ita expoſuiſſe veteres videntur, vt eodem die aquis Iordanis tinctum exiſtimarint, quo ante vndetriginta annos, quos iam compleuerat viuendo, fuerit natus

IV. Age, ad quartum capitis praeſentis momentum tranſeamus. Opus, ſtupendum potius, quam mirandum, ac vere diuinum accidiſſe illa die, aquam in vini praeſtantiſſimi ſubſtantiam abiiſſe, cum nuptiae celebrarentur Canae Galilaeae, exiſtimarunt maiores. Rediiſſe ſeruatorem εις Κανα της Γαλιλαιας, ὁπȣ εποιησε το ὑδωρ οινον, teſtatur IOANNES *euangelii c. IV. § 46.* Idem *capite II dicti libri* rem geſtam exponit; & teſtatus, Chriſtum feciſſe ταυτην αρχην των σημειων, addit: και εφανερωσε την δοξαν αὐτȣ. Inde φανερωσιν appellat epiphania ATHANASIVS *A. E. Alexandr.* περι της σαρκωσεως τȣ Θεȣ λογȣ, *tom. II, p. 30. ed. Lipſ. 1686.* Et in *gloſſario veteri graecolatino* legi: επιφανεια, το φαινομενον, *reuelatio;* teſtatur D. PETAVIVS *dogmatum tom. II, de incarn. lib. II cap. I extr. ed. Pariſin.* Quid ergo miremur, fuiſſe, qui hanc diuinitatis Chriſti reuelationem pro genuino haberent epiphaniorum obiecto. Graecis, Arabibus, atque Aegyptiis eam fuiſſe mentem, teſtatur EPIPHANIVS *haereſi LI;* vbi ſimul ritus, in rei huius memoriam quotannis repetitos exponit: de quibus nobis alio dicendum erit loco. AVGVSTINI nomen ferens autor *ſermonis XXIX de tempore,* epiphania id circo celebrari, ſcribit, quod in Cana Galilaeae in conuiuio nuptiali aquam in vinum conuerterit ſaluator. Eiusdem conuiuii επιφανεςατȣ mentionem facit EVCHERIVS *Lugdunenſis, homilia in ſ. Andreae vigilias.* Neque PETRVS CHRYSOLOGVS hanc epiphaniorum memoriam ſilet; per epiphaniam (epiphaniorum diem interpretor) Chriſtum in nuptiis ſaporaſſe vinum, diſertis verbis aſſerens

V. Denique in memoriam quinque millium, quos quinque panibus, ſub dio, in deſerto, ſaturatos dimiſit ſeruator, inſtituta epiphania, putant non nulli. Autor *ſermonis vndetrigeſimi,* AVGVSTINO tributi, feſtum

epipha-

Digitized by Google

epiphaniorum diem coli vult, ſiue -, ſiue quod de quinque panibus quinque millia hominum ſatiauerit Chriſtus; in quo ſalutis noſtrae contineantur myſteria & gaudia. Ineptum autorem produnt verba nouiſſima; Quamquam vel Auguſtino talia non omnino ſint indigna. Nouam, qua non egebant, epiphaniis celebritatem parare fictione conatus eſt autor, in ambone, contradictionis experte, conſtitutus. Erat forte ex illis, quibus, ſuo tempore & loco, quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas. Equidem BEDA *venerabilis* eiusdem rei fecit mentionem; nec omittitur hoc epiphaniorum miraculum in hymno: *illuminans altiſſimus;* olim decantato. Imo IACOBVS DE VORAGINE *aurea* ſua *legenda*, DRESSERVS, HOSPINIANVS, QVENSTEDIVS, IOANNES CASP. CALVOER, & IOSEPHVS BINGHAM vno ore ad hanc antiquitatem prouocant. Sed quum in originali Bedae talia expreſſa non ſint, & Ioannis ſexto, vbi res geſta traditur, *fuiſſe in propinquo paſcha*, dicatur, ambigendum ſibi putat ROD. HOSPINIANVS *de orig. feſtor. chriſtian. ed. II, 1612.* Certe, quum in omnibus Graecorum, Latinorum, & Syrorum, primaeuorum, ſermonibus, quos epiphaniis in concione dixerunt, iſtorum quinque millium nec volam viderim, nec veſtigium; vt epiphaniis iſtorum cauſſa feriati veteres fuerint, iure meritoque veremur

Reſtat, vt diem epiphaniis ſacrum e temporum ratione definiamus; &, quid in epiphaniorum celebritate geſtum ſit olim, quid hodieque, maxime in electione regis per fabam & ſortem, more maiorum, per plura ſecula conſeruato, & in regis chriſtianiſſimi aulam propagato, feſto ſanctorum regum ac epiphaniis ſit ſolemne, ediſſeramus. Sed quod res eſt, illis dilatis, dicendum. Voto finiendus eſt liber

❀ ❀ ❀

Amicitia, V. C. quam ingenui, nulli mancipati, nec absque ratione, quae ſufficeret, contraximus, eademque non fucata, vt eſt aliquorum hominum, nec iniquis fulta conditionibus, quibus inſidias parare popularis ſolet aura, primum iure atque merito his in lineis occupat locum. Quum dolemus, amicorum exſpectamus curam; quum gaudemus, laetitiae communis amicos non eſſe exſortes volumus; nos aduerſa amicorum fortuna, nos eadem ſecunda, ſternit, atque tollit. Lubens quam maxime, meritoque in paucis TIBI, decernit honores *artium magiſtri*, *doctoris philo-*

philoſophiae conceſſurus iura, ORDO SOPHORVM LIPSIENSIVM AMPLISSIMVS. Cauſſas igitur gratulandi e bonis omnino requiret nullus. Male feriatos, pertinaces plerumque, & qui rectiora doceantur, non aptis, nihil moramur. Hoc potius agerem: *Ingenium* diuinum, quod nil intentatum relinquit, cui arduum eſt nihil, *eruditionem*, humaniorum litterarum, matheſeos, philoſophiae, artisque ſalutaris, cultu, qui ordinem, aſſiduitatem, & ſelectum, quo ad ſingulas incumbis, redolet, comparatam, *prudentiam* in rebus gerendis, &, quam primo ponere loco par eſt, in DEVM & amicos *pietatem*, concelebrarem ex merito: niſi ſtyli inbecillitas tantis me conatibus arceret, &, qua delectamur, amicitia ſilere me iuberet, & ſingularis, quam cum his TVIS virtutibus arctiſſimo connectis vinculo, modeſtia, haec & plura tangi vetaret. Tantum abeſt, vt gloriam maiorum, a GENITORE maxime, in orbe, qua doctus dicitur, *celebratiſſimo*, partam, TIBI vindicari concedas, nedum deſideres. Macte virtute TVA! Qua, cum *honores*, quas parat Philurea, *patrios*, quum eruditionis ampliſſimae adparatum, quum famam TIBI comparaueris perennaturam, TE fore digniſſimum, digito monſtrari, & dicier: hic eſt! rite ſumus perſuaſi. Age itaque, ad metam, quam ſuperandam praefixiſti, pede inoffenſo, graſſare cautus, perge feliciter. Exſultant, quibus, TE vti familiariter, adhuc fuit datum, quod digna virtute TE referre, aliquoties viderunt, & hodie cernunt, βραβεια. Vota eorumdem, pro TVA, pro GENTIS honoratiſſimae, proſperitate, felicitate, ſuſcepta, cum ſpiritu, qui noſtros regit artus, defectura demum eſſe confidas. Denique non eſt, quod TVVM, fauorem dicam? an amorem? hinc inde anquiſitis verborum lenociis, extorqueam. Intus me & in cute pernoſti. Proin, quum indignis fauere prudens ceſſes, quo inpenſius colere, diligere, imo amare dignos TIBI ſit conceſſum; Nos in gratiam redituros numquam, TE mihi continuo eſſe fauturum, certo ſcio

Digitized by Google